

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis primâ Februarii M. DCC. XXXI.

M. RAYMUNDO DE LA RIVIERE, Doctore Medico, Præside.

An Succus Lacteus Fœtûs alimentum?

I.



UT obscurum qua ratione liberi in generis humani officinâ cudantur : sic involuta eorum nutritio. Fallitur qui ex utriusque parentis ejaculatis, exactè commixtis & ab utero allicitis seminibus, humanum Corpus generari existimat : & præter materiam, quæ nec est singularum partium portio, nec totius Corporis rudimentum; in semine facultatem formatricem, totum generationis opus dirigentem, com-

prehenſam tenet. Ex uno coitu plurium Fœtuum productio, admirabiliſque Corporis humani ſtructura, quæ fortuito particularum ſeminis motu nequaquam efformari poteſt, contrarium evincit. Ineſt mulieribus principium Fœtûs, ovum ſcilicet, in quo omnes futuri hominis partes jam formatæ ſunt. Illud maris ſemine fœcundatum, ex ovariis teſtes vulgò dictis, per tubas in uterum delabitur; cujus calore & humiditate intumeſcit. Interim ſpiritus intùs contentus exſuſcitatur: hic quaſi veterno excuſſo avolare nititur; verùm à ſtaminibus in fugâ detentus clauſtra ſua expandit, & niſu ſuo dilatat: hinc Fœtus radices in uteri fundum ſpargit, per quas excipit alimentum, quo ſpatiola à ſpiritu dilatata implentur,& pedetentim omnes Fœtûs partes evolvuntur; modo non planè diverſo ac plantarum ſemina terræ mandata explicantur.

I I.

EX Venæ Umbilicalis ramulis Utero appenſis, Fœtum pro alimento maternum ſanguinem aſſiduò rapere, qui credit, pariter errat. Sanguis qui per Arterias ad Uterum pellitur in Fœtûs nutrimentum non impenditur, cùm nec Fœtûs accommodatum ſit alimentum, nec ab Utero in eum migret. Hi ramuli non in arterias Uteri, ſed in papillas inſeruntur, quæ chylum, non ſanguinem recipiunt & profundunt. Chylus in matre primùm elaboratus, defertur ad Uterum unà cum ſanguine per arterias: ibi ope glandularum ſanguini materno aditum prohibentium percolatur, ramulos deinde Venæ Umbilicalis ingreſſurus. Ut in ovo albumen venas ſubiens, purpureum colorem induit; ſic Chylus in placentæ tubulis diſtributione, qua particularum motus & figura mutantur, in ſanguinem convertitur. Hic è placenta per Venam umbilicalem fluit in Fœtum; cujus nutritioni eò aptior eſt, quod in ipſius vaſis confectus, Fœtuì ſit magis homogeneus.

I I I.

QUI chylum nutriendi Fœtus gratiâ, lacteis vaſis ad uterum appellere vix credit: illum ſaltem non confuſum, nec mutatum, per Arterias ad papillas deferri pro certo habeat. Chylus Uteri glandulis à ſanguine ſeparatur, ſimili ratione ac in mammis, lac producturus. Secretus placentam ſubit, in qua miſcetur cum Sanguine, quem binæ Arteriæ advehunt è Corpore Fœtus in placentam ad Chyli præparationem. Hic unà cum Sanguine arterioſo è Capillaribus Venæ Umbilicalis ramulis, primam adeptus elaborationem, in majorem truncum delabitur, in quo novâ agitatione illius particulæ à ſe invicem ita dividuntur, ut cum Sanguine confundantur, atque illius naturam induant: Ut Chylus in nati pueri vaſis, multis ac repetitis circuitibus in Sanguinem omnino convertitur.

IV.

CHYLUM non Sanguinem in placentam devehi, solitâ naturæ agendi ratione confirmatur. Hæc in Animantibus leges posuit, quas perpetuò sequitur, rarò ab iis discessura. Omnes Animantes in Utero conclusas nutrit Chylo. Id ex Uteri prægnantis animantis sectione compertum quâ Venæ Umbilicalis ramos, in Uteri papillas, non in arteriarum oscula inseri patet; è quibus avulsæ papillæ humorem Chylo simillimum profundunt. Hunc humorem statim à partu omnia ferè animalia lambendo auferunt, absorbent, avidissimè devorant, cùm Fœtus excrementa ne atringant quidem. Si id perpetuum in animantibus: In homine etiam Fœtum Chylo nutriri necessum est; cujus generatio, nutritio, accretio ferè ac in omnibus, æquè non absimilis.

V.

MULIERIS Utero gerentis, à denegato sufficienti alimento, abortus, præsente tamen Sanguinis copiâ: & ad gravidarum morbos pluries adhibita venæ sectio absque ullâ Fœtûs illatâ injuriâ; Chylum non Sanguinem maternum, in Fœtus alimoniam facescere evincunt. Illum toto gravidationis tempore, partim per Venam Umbilicalem recipit, partim per Os sorbet. Chylus quamdiu appellit ad Uterum, tamdiu in eo Fœtus retinetur. Desinit fluere, cum nimiâ Uteri distensione clauduntur poruli papillarum, per quas fluebat. Quo facto maturus excidit, tanquam è desiccato pedunculo, & pari sui matrisque nisu, sese Utero contrahente, juvantibus Diaphragmate, Musculisque Abdominis, prodit in lucem, eodem, quem per mammas sugit, Chylo nutriendus.

Ergo Succus Lacteus Fœtûs alimentum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes - Baptista Du Bois, Scholarum Professor designatus, & Serenissimæ Principissæ Dotariæ de Conty, Medicus.

M. Guillelmus - Josephus de l'Espine.

M. Ludovicus - Hyeronimus Cosnier.

M. Joannes - Ludovicus le Thieullier.

M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.

M. David Vasse.

M. Henricus Besnier.

M. Germanus Preaux, Professor Regius.

M. Joannes Cordelle, antiquior Scholæ Magister.

Proponebat Parisiis, OTTO - CASIMIR BARFEKNECHT, Cœslino - Pomeranus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1731. à sextâ ad meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1731.